Ratio dubitandi est quia ex vna parte finis *Cui*, per se primo amatur, & est ratio seu motiuum amandi finem *Qui*: nam cum amo valetudinem, non ipsam propter ipsam nude sumptam amo, sed propter me quem prius amo: ergo finis *Qui*, habet potius rationem medij quam finis. Deinde ex alia parte finis *Qui* habet bonitatem per se conuenientem & amabilem scilicet honestam vel delectabilem: ergo ratione eius bonitatis erit proprie finis tanquam bonus ratione sui immediate; & consequenter vt sic non erit medium; quia medium, vt medium est, non est bonum nisi ratione boni quod causat, tota enim eius vt sic considerati bonitas, est esse vtile ad comparandum bonum intentum. PROP. 2. & 3. *cui, aut finis qui sit magis proprie finis.*

Soluitur *e* dubium dicendo vtrunque seorsim *Cui* nimirum & *Qui* finem, esse proprie suo quemque modo finem ob rationes factas seorsim pro vtroque. Dixi vtrunque seorsim; quia si sumantur simul in vna serie, proprie non faciunt nisi vnum finem qui integre ex vtroque conflatur; quatenus dum aliquem amamus amore beneuolentiæ, non possumus non amare bonum, quod illi conuenit; nam velle alicui bonum (quod est amare amore beneuolentiæ) est etiam explicite amare tale bonum vt conueniens illi, & reciproce dum amamus bonum quoddam provt conueniens alicui (quod est amare amore concupiscentiæ) amamus & non possumus non amare etiam explicite illum aliquem cui bonum illud concupitum conuenit: ita vt amor beneuolentiæ nequeat secludi ab amore concupiscentiæ, nec è conuerso hic ab illo. Et hinc iam constat finem *Cui* & finem *Qui*, non esse proprie duos; sed ex eis vnum conflari, propter quem cætera fiunt. Imo addo ad illum complete constituendum in esse finis requiri & concurrere necessario finem *Quo* vt dicitur, id est vnionem finis *Qui* cum fine *Cui*; vt finis vltimus meus qui est Deus visus includit tria, Deum vt finem *Qui*, visionem vt finem *Quo*, meipsum vt finem *Cui*. 5 e *Solutio in fauorem vtriusque.*

PROPOSITIO II.

Id quod finalisat non est cognitio vel amor finis, sed bonitas eiusdem.

Finalisare est causare in genere causæ finalis nempe tanquam id propter quod aliquid fit: cognitio autem & amor finis non ita causant, ergo &c. Probatur minor quia v.g. quando sumo pharmacum propter valetudinem mihi cognitam & amatam, non sumo propter cognitionem ipsam vel amorem valetudinis; non enim sumo vt cognoscam vel amem; sed sumo, vt ipsam quam cognosco & amo valetudinem, obtineam mediante pharmaco: ergo cognitio vel amor valetudinis non sunt id propter quod fit aut sumitur pharmacum; ergo neque sunt id quod finalisat. Quæ est prima pars propositionis. 1

Dices cognitio mouet voluntatem, voluntas potentiam executricem; & ita effectus istius pendet à motione amoris & cognitionis; ergo mouent in ratione finis, quia non est aliud genus. Contra quia eodem modo posses dicere finem ipsum mouere intellectum; & sic omnem motionem reducere in ipsum finem; sed Resp. finem effectus non esse ea omnia à quorum motione pendet idem effectus; sed ea solum propter quæ fit aut est; id autem illis solummodo conuenit quæ appetitus ita optat siue amat vt ad eadem obtinenda, cætera faciat vel imperet fieri: at cognitio & amor, vt euidens est ex dictis, non sunt huiusmodi. Cognitio quidem & amor exercent motionem (quæ in quo consistat non est huius loci explicare) sed hæc est conditio necessario prærequisita ad finalisandum, quatenus bonitatem non amo quin cognitam; nec propter eam, quin amatam, operor; non autem est id quod finalisat vt iam ostensum est; neque ratio formalis finalisandi, vt sequenti prop. ostendam. 2

2 Pars propositionis patet ex prima: bonitas enim valetudinis (vt in allato exemplo persistam) est id quod amo, quod & assequi peropto, & propter quod obtinendum suscipio pharmacum &c.

PROPOSITIO III.

Causalitas causæ finalis est causalitas ipsius efficientis, sed vt pendens à motione finis.

PRobatur quia causalitas est id formale quod constituit causam in esse causæ; siue id quod est illi formalis causandi ratio. Finis autem cum, vt dixi superius, non aliter sit causa, siue non aliter influat, quam quatenus est id propter quod aliquid fit; ab agente, inquam, fit; nam ab alio non fit; & non pendet à fine nisi quatenus agens agit propter finem: igitur finis influit per id ipsum per quod agens influit: per id ipsum dico, non quidem provt pendens ab agente præcise; sed provt ab agente ex amore finis, seu propter finem. Illud vero formale per quod agit agens ex amore finis, non est aliud quam causalitas efficientis provt pendens à motione finis: ergo causalitas causæ finalis, &c. vt fuit, &c.